

**Oratio anniversaria in theatro Collegii Regalis Medicorum Londinensium ex
Harvaei instituto habita die xviii Octobris, 1764.**

Contributors

Cadogan, William, 1711-1797.

Publication/Creation

Londini : prostat venalis apud J. Whiston, & B. White, in Fleet-Street,
MDCCLXIV. [1764]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a82kwyg8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

O R A T I O
A N N I V E R S A R I A
In T H E A T R O
C O L L E G I I R E G A L I S
M E D I C O R U M L O N D I N E N S I U M
E X
H A R V A E I I N S T I T U T O
H A B I T A
D I E x v i i I O C T O B R I S , 1764.

L O N D I N I :

Prostat venalis apud J. WHISTON, & B. WHITE,
in Fleet-Street. MDCCCLXIV.

О Т А Я О
А І Я А З Я Ч И И А
О Я Т А Э Н Т П
ВІ Ж Н О Д Я Г І Е Л Г О
М У С И С И Д И О М У С О Д А М

О Т І Т І Т А И Г І Д У Я Н

А Т І В А Н

Діякінівської, 1704

Л о н д і н

Університетська бібліотека
Університету імені Тараса Шевченка

VIRO DIGNISSIMO
GULIELMO BATTIE, M. D.
P R A E S I D I,
SOCIISQUE ORNATISSIMIS
COLLEGII REGALIS
MEDICORUM LONDINENSIVM,

HANC
ORATIUNCULAM
ILLORUM HORTATU EDITAM,

D. D. D.

GULIELMUS CADOGAN.

ALTO DISEÑO

МАЛЕНЬКОЕ

ДИЗАЙН

СОВРЕМЕННОЕ
СОЛНЕЧНОЕ
МИНИМУМ ДИЗАЙН

ДИЗАЙН

МАЛЕНЬКОЕ
МАЛЕНЬКОЕ

ДИЗАЙН

Городской дизайн

O R A T I O
A N N I V E R S A R I A
In T H E A T R O
C O L L E G I I R E G A L I S M E D I C O R U M
Londinensium, &c.

Celeberrimos viros laudare, qui de arte suâ, de literarum republicâ, de genere humano bene & præclare merendo, sui memores fecere posteros ; magnum opus omnino & arduum est : at, si digne fiat, perjucundum. Ingenuis omnibus dulce est laudare ; alienâ famâ gaudent boni, instrui se sentiunt, & ad similes labores & æmula studia honestissimo certamine accenduntur. Hic verus historiæ finis, hos fructus fert magnarum rerum commemoratio, scilicet ut præterita ad futuram gloriam urgeat. Hoc vestrum est in anniversaria virorum illustrium concelebratione laudabile propositum, cum id quod quâque personâ dignum est, eâ, quâ par est, observantiâ, fide & facundiâ dicitur. Id

muneris mihi, nec viribus, nec verbis, nec sanitate corporis apto & valenti, designatum esse, miror & perhorresco; in tantâ & tam honoratâ doctissimorum virorum frequentiâ, qui ex abundanti ingenio & conditissimâ eloquentiâ, melius, plenius, nullo labore explevissent. Sic vultis, auditores dignissimi, atque ut me vobis morigerum præstarem, & honestè fungerer officio meo; ut cunque repetitum, utcunque difficile novos in trito campo flores decerpere, indulgentiæ vestræ confisus, ex animo me ad datum munus pensumque revocabo.

Sic constitutus a Deo Opt. Max. videtur ordo rerum, ut nihil terrestris stabile sit, nihil humani permanens; sed ut lex omnium foret, nasci, labi, fluere; artes & imperia pari progressu incedere, iisdem auspiciis surgere, communi clade perire. Hæc ita esse, plurimarum gentium historia docet; sed magno & memorabili exemplo est imperium Romanum, quo soluto unâ artes, ad summum elatæ, perierunt omnes: & crassa ignorantia, barbaries fœda, & cæca sine mente religio diu terris incubuerunt: nullum jus nec jurisprudencia, nec urbanitas, nec caritas, nec humanitas apud homines, ferarum more assuetos pugnare & rapto in diem vivere: obrutæ jacent artes, cum veterum scriptis, marmoribus, tabulis, signis, omnibus quæ vitam humanam & ornant & nobilitant communi ruinâ sepultæ jacent.

Corruit imperium Romanum, stetit quidem Roma & stat adhuc; sed non qualis erat: non Roma libera, fons

fons ingeniorum, heroum fœcunda mater. Stat nomine, non re; triste mutabilis fortunæ monumentum, duram ut vice suâ serviret servitutem, atque ut Hadrianos novos, & Cæsares non suos miraretur & formidaret.

Corruit imperium Romanum & ab stirpe interiit. At vero artes immortales, æterna scientiarum semina, mille annos sepultæ tandem resurrexere. Simul omnia in melius mutari, mansuescere animi, emolliri mores, sua bona scire & consulere cœperunt homines, principes protegebant artes, artesque vicissim ornabant principes: tali auxilio & patrocinio florebant omnia, rura gaudebant vomere, commercio urbes, & abundantiam & pulchritudine suâ tellus luxuriabat.

Renaſcentibus undique literis, quanta Britanniæ nostræ felicitas! quanta superbia! tot tantosque suos habuisse in omni genere, qui primas tulerunt partes palma inque reportarunt. Physica tota nostra est, & quicquid sani habet metaphysica; harum enim scientiarum patres & principes Verulamii, Boylei, Newtones, Lockii vix alibi reperiuntur.

Quod suos verè illustres jactet Britannia, medico, fundatori vestro Linacro debetur; nam primus ille literas agresti patriæ intulit. Ante eum vix ulla sunt aut doctrinæ, aut sapientiæ, aut sensus communis in his regionibus vestigia; vel si qua fuerat philosophia, ea omnis cum Aristotele apud Arabes exulabat. Sed

ille naturâ & ingenio suo edoctus, obscurâ in nocte aliquid veri vidi, amavit, coluit ; &, amotis ignorantiae & erroris ruderibus, viam patefecit, & ad veram philosophiam naturamque ipsam ducentem monstravit. Hic vir, hic est, qui naturâ admirabili, studio & labore & patientiâ incredibili ; vigiliis & peregrinationibus, musas omnes severiores felicissime coluit. qui, cum neminem quem præceptorem adiret, domi invenisset, nec eas artes quas discere flagravit, haurire potuit, in Italiam se transtulit ; ibique optimorum consilio, amicitiâ & consuetudine animum disciplinis omnibus exercuit, omneque quod erat aut doctrinæ aut scientiæ in illâ sede & magistrâ studiorum complexus, in patriæ sinum reportavit, suosque novis artibus & scientiis ante inauditis locupletavit. Hic est, qui cum viderit medicinam incultam & squallidam ad tabernas, in foro & in triviis nundinantem, & vilia popello vendentem ; sustulit, excoluit, adornavit, a malorum confortio & improbabâ empiricorum consuetudine dissociavit, & inter primores & principes pristinâ & debitâ cum dignitate locavit. Quantus honor primis in omni arte debetur inventoribus, tanto efferendus est Linacrus : primus ille grammaticam, tunc temporis aut neglectam aut parum cognitam docuit, artium primam reputans, & ipsius sapientiæ fontem. quis enim aliquid boni noverit, aut e vulgo hominum evaserit, nisi qui prius bene & pure loqui & dicere

& scribere probe didicisset? De emendatâ structurâ Latini sermonis scripsit, &c, præceptis & exemplo, corruptam & depravatam in pristinam puritatem atque elegantiam vindicavit. Doctus ille sermones utriusque linguae Galeni libros, tantâ fide, tantâ luce, tanto nitore reddidit, ut melius Latinè quam antea Græcè loquerentur. Ejusdem operâ, teste Erasmo*, Aristoteles Latinè legitur, ut, licet Atticus, vix in suo sermone parem habeat gratiam. Fuerant illi permulta in scriniis utilissima, quibus studiosorum animos allicere & fovere studebat, sed non nisi limatiora quædam in lucem edere ausus est. Tam cautus, modestus, & exquisitus fuit, ut dum omnibus aliis docendo placuit, sibi soli non satisfecerit. Toto vitæ decursu, qui & studiorum idem fuit, quot ardua non ille superavit! quot dura non perfregit! quot aspera non complanavit! ut artes omnes ubicunque renascentes fideliter disceret, & pro fundamento medicinæ novæ, naturalis, rationalis superstruendæ poneret. Quod tot & tanta successores ejus proximi fecerunt, sua laus est; primus ille perrupit tenebras, illi luce novâ gaudentes, talia detexerunt & demonstrarunt, quæ genti medicæ gloriæ erunt in æternum mansuræ. His monumentis vir ille saluti publicæ consuluit, patriam ornavit, & rempublicam vestram nomenque suum æter-

* Hoc opus in publicum non prodiit, nec constat clarissimum Linacrum perfecisse.

nitati consecravit. Gaudete, vos, quos civitate suâ honestari voluit, quos virtutum suarum, nec vanâ spe, heredes expectavit, tamque ornato excellentique viro & fundatore capite superbiam.

Quin & hoc quoque Linacri laudibus summo jure apponendum, quod cum noverit quam parum valet vita brevis unius hominis ad artes erigendas, non nisi coniuncto multorum & successivo studio, labore, & patrocinio ad perfectionem promovendas, ille optimos quosque illius ætatis in auxilium vocavit, amicitiae fœdere & unito propositi consilio adjunxit sibi ; ne felicissimis auspiciis suscepit opus, artesque novissimè natæ, cum primo instauratore deficerent, deficientibus dignis successoribus. Nonnulli fuerunt inter hos clari & insignes viri, qui, quisque suum contulerunt. Sed primus inter omnes emicuit Johannes Caius, dignus qui pari honore incederet, atque amicitiam dextramque Linacri teneret, qui ad ipsius exemplar formatus, eodem amore scientiarum captus, similem sibi vitæ studiorumque rationem instituit ; æquali industriâ, ardore, peregrinatione, & successu, æqualem gloriam adeptus, ab eruditis omnibus **Linacrus** alter non immerito dictus est. Nec erat, quod uter comparatione aut perderet aut erubesceret ; cum enim magno amborum honori, alter ex alterius laude partem, uterque autem suam totam haberet ; uterque in eodem studiorum & gloriæ curriculo certavit, & cum jam pal-

mam acceperat Linacrus, e carceribus exiens Caius passibus æquis præcurforem secutus eandem coronam obtinuit. Ille in inculto & derelicto solo sevit, cum jam flos veteris ubertatis exaruit ; sed aliquos cepit fructus. Hic alterius labores lucro vertens, & agrum altius exarando cumulatiorem messem consecutus est. Cum enim Galeni libros quos vehementer admiratus est, intentâ & docili mente evolvisset, tanto anatomicæ excolendæ ardore correptus est, ut huic labori totum se dederit ; nec iis, quæ ex illius scriptis didicerat, contentus, ulteriores progressus fecit, de suo nova & utilia addidit. Ab optimis magistris institutus, a familiaribus Columbo & Vesalio incitatus & adjutus, præcipuè autem observationibus propriis instruatus, quas in cadaveribus secundis diu multumque exercitatus fecerat, his suppetiis præparatus & operi aptior factus, commentaria in ejusdem Galeni libros scripsit, quædam loca, a Vesalio male intellecta, vindicavit, corrupta restituit, obscura illustravit. Domum tandem reversus, hâc arte egregiè pollens, prælectiones anatomicas apud chirurgos instituit, quos summo dolore cultrum temerariâ & imperitâ manu tractantes videbat, humanæ fortis miseritus, nec olei nec operæ parcus, ignaros patienter docuit, nonnullosque ad ulteriorem artis necessariæ culturam excitavit. Quæ hoc fonte derivata felici & rapido decursu per patriam fluxit. Nil opus est laudibus ejus inhærere, hoc unum
memoriæ

memoriæ vestræ commendare velim. Anatomiā scilicet non e chirurgorum officinis, sed ex Academiæ spatiis, liberali culturâ, medico præmonstrante, exiisse. Cætera, clarissimi viri historiam, mores, virtutes, noviſtis omnes, novit & gaudet Cantabrigia alumno & fundatore suo, quæ vobiscum & literatis omnibus, donec erunt artes, aut manebit pietas, nomen ejus resonabit.

Ut Linacro Caium, sic Caio Harvæum debemus. Harvæi nomine audito, quis primis literulis eruditus, quis philosophiæ colore vel levissimo tinctus, qui non toto pectore exultat, qui non gratissimâ ingenii virtutumque suarum recordatione lætus, & famam ejus & triumphos celebrare gestiat? O Harvæe! magnum medicinæ lumen, Angliæ decus & orbis literarii deliciæ! omni ore decantate, omni corde dilecte, nondum satis pro meritis tuis laudate, sit mihi fas vocem attollere, canentium choro immisceri, floresque novos insigni coronæ tuæ innectere. Tu, Moses alter, veros vitæ salutisque fontes reclusisti, illibatos ante te. Tu nova miracula attonito & invidenti mundo pandisti, iniquo sæculo, pro more sæculorum omnium, nequicquam dubitante, obtrectante, reclamante. Tu, invidiâ, contumeliâ, vituperatione omnique obice major, lucem in tenebris ostendere pergebas, & cæcis dedisti videre: famæ & fortunæ securus, hoc unicum, pro summo tuo erga homines immerentes amore & caritate,

caritate sollicitus curans, ut veritas illa circumacti sanguinis, quasi cœlitus tibi soli dilapsa, ad commune bonum, doctrinæ solatium, & generis humani salutem prodiret & extra omnem dubitationis aleam eluceret. Hoc tibi vivo videntique contigit, hanc accepisti laboris & ingenii mercedem, malevolis omnibus frustra adversantibus, prævaluit tandem demonstrata veritas, in omne ævum duratura. En vero invidiam hominum & malignitatem! cum jam sublatum est omne dubium, & meridiano sole clarissimus vis veri irradiavit; illi ipsi qui aut dubitaverant aut negaverant, & totis viribus contra famam tuam insurrexerant, irâ & odio prosequentes & quasi mordicus divellere conantes ab omni munimento pulsi & fugati, nihil novi esse prædicant, sed rem jam notam te tradidisse; ægrè ferentes unius Angli gloriam, quâ multos inclarescere posse crediderunt, divisam volebant, & Paulo & Vesalio & Serveto aliisque magnam reperti partem tribuere studebant. Nonnulli eâdem acti invidiâ antiquitatem altius explorantes, & Galeno, & Hippocrati, & ipsi Homero innotuisse contendebant, inventâ voce aut Græcâ aut Latinâ, periodum, circuitum aut ejusmodi aliquid sonante: Euge! clamabant illustres hi veteres circulationem sanguinis intellexerunt. proh vanitas! An illi qui cordis usum & arteriarum, qui secretiones omnes, & nutritionem & incrementum corporis ignorabant, qui omnia in

animale per facultates quasdam, per divinum aliquod ignotum movens fieri docebant; qui denique physiologica omnia præter nexus & posituram partium omnino nesciebant; an illi quidquam de vero sanguinis circuitu subolfacti sunt? imo nec in somniis. Præterea, res nunc omnibus patefacta talis appareat, quæ non partim conspicienda; sed totam sciri, vel penitus nesciri, necesse est. aliquem enim humorem in corpore moveri, quin omnes moveantur, impossibile videtur. Satis est argumenti, his sedulo persensis, candidi bonique omnes certiores facti, justitiam moniti, famam eam, quæ vivo negata est, cineri tuo sinceram & indivisam, æquiores dabunt.

Cætera illa, quæ de generatione animalium edidit, & plurima alia, quæ scripsit, alia meditatus est Harvæus, ingeniosa sane & præclara, quibus vulgus hominum magnos ad honores succrescere potuerunt, vix memorarem; nisi quod hoc quoque commonistrare valerent, scilicet, quod non casu, non fortunæ iectu felici, velut alia, utilia quædam, alia perniciofa detecta sunt, magnum ejus inventum effulsit; sed ille præstantissimum ingenium contulerat ad summam rerum anatomiarum & perfectam physiologiæ scientiam, & postquam longo labore & studio veteres thesauros, & quicquid erat recentioris doctrinæ frustra perscrutatus est; solo tandem acri suo judicio & oculatæ mentis acie arcanum hoc naturæ penetravit & intellexit.

Restat

Restat de virtutibus, de benevolentia, de beneficiis Harvæi dicendum; ille enim gravioribus artibus decus omne virtutis summam cum suavitate morum junxit. Hæc omnia impari calamo leviter tantum attingo, vati futuro cedens, cui dederit natura dulciora & digniora loqui. Sed officium, sed pietas ipsa monet ne tanta omnino immemor & ingratus præterirem. Quo ille spiritu vere philosophico contumelias tulit, patientiam vicit? quâ animi propensitate vos vestraque amplexus est? quâ munificantiam ædes vestraræ adauxit & ornavit, Senaculum & Musœum de suo nomine, condidit, Bibliothecam instruxit & locupletavit? quâ benignitate & amore pio omne quod longo labore & perenni studio excuderat, prælectionibus suis studiosis omnibus communicavit? quam sæpe comitiis interfuit præceptor, fautor, patronus; conviviis, comes jucundus, conviva facetus? extremo tandem spiritu octogenarius senex vobis fausta omnia precatus, fundumque laremque, vivus adhuc, prosperitati gaudiisque vestrīs in æternū consecravit.

Proximus in famæ curriculo sequitur Sydenhamus, vir bonus, si quis aliis, & fidelis, non solum ad summa doctrinæ natus & eruditus; sed, quod nomen ejus meliori notâ distinguit, ad optimam illam & optationem medicinæ partem depurandam, ulterius provehendam & comprobandam, veram scilicet & naturalem medendi artem. Mos vitiosus fuit illius ætatis

vanis opinionum commentis indulgere, prout hypothesis hæc vel illa, mirâ cerebri fertilitate ficta atque excogitata in vertiginem rapuit summos viros. Hic Harvæi reperto abusus, transfundendi sanguinis ab uno animale in alterum ideâ delirabat. Ille mirabilibus Chemiæ captus, omnia per Chemiam fieri, & mixturis quibusdam ab illâ arte petitis cruorem humanum, forsan in usum transfusionis, componere volebat. Ad hunc modum errores humani infinitâ mole ac numero, aucti & coacervati sunt. Imaginatio male fœcunda productione malorum luxuriabat, librorum turba in sylvam immensam excrevit, longéque a veritate & simplici naturâ præoccupatam multorum judicium deflecebat. Hinc ortæ hypotheses, systemata, subtilitates philosophicæ quasi ab alembico destillabant, & funestissimo successu in medicinam inductæ sunt. Atqui non sic Sydenhamus corio humano ludebat, nec vanis figmentis fucum sibi aliisque fecit; sed contra hos omnes insurgens phantasiæ errores, praxi suæ insuper struendæ solidam atque inconcussam substernens basin, exercitio & usu, diligenti & accuratâ morborum observatione salutiferæ artis suæ incremento studuit, ad summum fastigium evexit, & symptomatum omnium, vel minimorum, modo certo constarent, fideli historiâ bono publico & posterorum memoriæ benevolè mandavit. Vigilatis ejus laboribus nemo specie recti decipitur aut avius deducitur,

deducitur, sed accurata & elegans rerum narratio, verum simplex & incorrupta fides ubique nitent, & promissis suis, & votis omnium abunde respondent. Febres, mortis prænuntias, sæpe etiam agente naturâ salutis instrumenta, nemo clarius perspexit & explicuit; omnes ad certas & definitas species retulit, cuique notas diagnosticas & characteres suos impressit; ad anni temperiem & constitutionem revocavit: desideratum opus! quantum hinc juvaminis ægri capiant? quantum fructus studiosi? quibus libri ejus usus & experientiæ, magistrorum omnium præcepta exsuperant, locum teneant, quiue sic instructi artem exerceant quasi jamdudum in ægrotantium curâ versati. Quare vivit adhuc Sydenhamus, vivit post funera, non solum vitæ scriptorumque famâ perenni, sed utilitate & beneficiis nunc acceptis, & semper accipiendis; quibus adhuc ægrotantium malis interesset & consulere videtur, medicus, & opitulator vel in terrâ defossus.

Duobus his quasi medicinæ columnis, maiorem aut præstantiorem frustra quis quæsiverit. Fuere tamen alii valde probati viri, & nomine & memoriâ digni, qui in ærarium commune sua contulerunt. Quorum e numero evocare licebit Willisum & Glissonem, hunc hepatis strukturâ & usu illustratis, illum cerebri compage patefactâ celebrem; sed nefas esset Lowerum oblivisci, qui cor, nobile viscus, pri-

mum.

mum natum & ultimum moriens, exploravit, ejusque actionem & fabricam penitus perspexit & explanavit, & Harvæi doctrinam, si quo indigere potuit, testimonio novo stabilivit.

Venimus fere ad nostra tempora, & ecce ante oculos, vir omni vitâ atque victu exultus atque expolitus; non imperitæ turbæ suffragiis, non populi stulto clamore evectus, sed eruditæ civitatis judicio probatus, Johannes Freindus. Qui & excelsò ingenio, & flagranti studio, & doctus a puero summa omnia petivit atque permensus est. Non humi contentus cum mediocribus reptare, qui quicquid habent aut loci aut momenti, id ex arte suâ & ordine derivatum tenent. Ille arti dignitatem contulit, & alas & animum in altum intendit, nec secundus in primo loco, sed inter primos eminere. In senatu orator gravis & fortis & in optimis rebus constantissimus. In arte suâ medicus, ut neminem superiorem, paucissimos certe pares haberet. Mirum sane unde tot virtutes & specie dispare, quæ disciplinam cultumque diversum sibi vindicare videntur, tantâ prudentiâ conjunxit. Sed illi artium liberalium universâ intelligentiâ claro & perfecto, nihil erat quod in quamlibet arenam descendere metueret. Nullum tempus illi unquam vacabat aut a publicis negotiis, aut a studiis domesticis, aut a scribendo aut a cogitando, ut musas ornatiores invitaret & ad se alliceret. Res asperas philosophiæ & medicinæ tam casti-

castigatâ, & quantum hodierno licet classicâ elegantia tractavit, ut scriptis ejus quæ veram sapiunt antiquitatem, nec sententia, nec verbum non Romæ tritum illapsum videatur. Neque id ipsum elaboravit, tam leporis causâ, quam ponderis, quod elegans verborum delectus & construētio impertit rebus adeo. illo docente delectamur, ut cum antiquorum optimis versari videamur. Qui, utcunque in rebus physicis minus recte judicabant, soli sunt elegantiarum arbitri, & recogniti facundiæ magistri.

Huic illustri viro præmaturâ morte abrepto successit aliis & idem illustris & elegans, musarum comes, deliciæ vestræ, Pellettus, eximiis naturæ dotibus ornatus, liberali culturâ expolitis, aptum sese natum ad omnem vitæ dulcedinem monstravit. Comis, urbanus, facetus, æqui amans, carus amicis, desideratus omnibus. O invidenda fortuna! O fortunate nimium! cui datum est & modicas opes possidere, laudiores contemnere; per amœna literarum peragrare, grata omnia in transcursu delibare, acerba respuere. Illi concessum est, medicinæ studio naturæ mirabilia pandentis mentem animumque locupletasse, ingrata exercitii, hominum ineptias & injurias, quæ nobis devorandæ sunt, ingenuo liberoque fastidio rejecisse. Stultiâ tandem & molestiis fæculi laffatus ad limen musarum & otii se recepit, rure suo, & tranquillæ vitæ gaudiis contentus & felix, placidos dies noctef-
que

que cum somno egit, posthabitis divitiis operosioribus.

Iniquissimum certe foret Pelletti nomine memorato, Plumtræum suum insalutatum præterire; amicum, studiorumque & vitæ comitem, cui & præclarum ingenium; plurimæ, eæque non vulgares literæ, virtutes similes, eademque ad ornatum copia. Cui nihil non amabilis aut decori aderat, nihil humani defuit; benevolus, candidus, officiosus, amicissimus vixit. optimi mores ornabant virum, summa intelligentia medicum. Quanto judicio redundantem expurgavit pharmacopœam, inconditasque & absurdas medicamentorum formulas, quibus obruta est medicina, & omne præter remedium inerat, ad simplicem atque utilem elegantiam revocavit? quâ fide & honore præfidis munus explevit, quâ dignitate sustinuit? Testes Vos estis, meministis enim, adhuc cari capitis desiderio perculsi, quâ festivitate lætus, cathedram conscendit, atque jocos & sales & hilaritatem undequâque spargebat, quam nihil non faceti atque exornati exhibat ex ore!

Ingenuis his clarisque viris non immerito numeratur Jurinus, nec enim facilè quem dixerim plus studii quam illum ad omnes bonarum artium disciplinas adhibuisse, aut majorem geometriæ rerumque physicarum scientiæ laudem esse consecutum. bonis his initiis, solidissimis superstruendæ medicinæ fundamentis orsus, subito

subito ad artis summum elatus inter peritissimos primas tulit. Quod vero illi magnum, generique humano felix faustumque fuit, nova illa est & nunquam satis admiranda, quâ medicinæ vires auxit & gloriam, prophylaxis variolarum insitiva, ejus potissimum consiliis atque experimentis comprobata &, favente Deo, ad exoptatissimum finem perducta. Quantum boni salutifero ab hoc artificio profluxerit, millia illa hominum morte redemptorum eloquantur. Atqui vero non omnis hæc gloria Jurino concedenda est ; neque ego is sum qui falsis & fucatis & sepulcrali adulatione quemquam ornare studerem, nec alienis honoribus illi opus est qui resplendet suis. hoc suum totum non est, sed alias allatum. multum vero illi debetur, quod pro salute publicâ tanto in discrimine periclitari famam ausus est, cum spes boni exitus incerta admodum adhuc & dubia vacillaret. quid enim existimandum erat de barbarorum illorum more, aut quis crederet aliquid ad imitandum ab iis afferri posse qui filiarum suarum pulcritudinem atque pudicitiam, vendunt, emunt, pretio negotiantur ; & vitas hominum, vel suorum, parum ducentes eo animo fecerunt, ut mercaturæ suæ consularent, & puellarum facies invado collocarent ? Suum cuique tribuatur, & fiat justitia nobilissimæ fœminæ novissimè in hoc congressu justissimis præconiis celebratæ, cujus acri judicio & eruditæ observationi salutaris hæc methodus debetur.

Illa est, quæ naturæ dotibus & cultissimâ mente eximia, quam musæ gratiæque omnes molli fovebant sinu, suamque vindicabant, illa vel e barbarorum fæce hoc utilissimum discere atque haurire potuit. atque domum redux augustissimæ reginæ, piæ memoriæ, Carolinæ tantâ fide & commendatione communicavit; ut illa, eruditissima ipsa, quæ literarum omnium artiumque laudatarum & cultrix fuit & patrona, utilitate rei insignis perculsa, statim periculum faciendum jussérit, quo probè & bonis avibus facto, regiam sboleum operationi committere non pertimuit. Tantis auspiciis commendatam atque sanctam felicissimam exitu comprobatam rem, nil mirum per patriam populumque fluxisse. Si qui sunt, iisque se doctos professi, qui tantum beneficium mortalibus invidentes, perstringere atque sufflaminare conantur; lugendi fane potius quam cum iis ineundæ controversiæ digni videntur. Quid si hinc inde unus e mille perit eorum qui spontaneo morbo perituri essent? id maximè imperitorum ægros tractantium inscitiae imputandum; qui, importunâ suâ, sæpe nocivâ, semper officiosâ nimis medicatione multos in discrimen vitæ conjiciunt. quandoquidem, non inexpertus loquor, res aliter fere omni periculo vacaret. Dolendum sane, si ars benefica exolescat unquam, id potissimum futurum, non defectu rei, sed quod popularis auræ arbitrio iis tractanda conceditur, in quibus, si quid inciderit dubii, nullum

nullum est auxilium, & quod medicorum munus est,
vix amplius medicis obeundum.

Sed unde abii redeo, ne locus hic diesque curialis
virtutis laudibus facri, ingrato culpandi officio profa-
narentur ; atque ut hoc peccatum bene redimam, ad
tuas laudes festino, si tenus descendere concedatur,
consummatissime Meadi. Tu cursu magno ferebaris ;
tibi magni honores debentur : si vero majora cupi-
enti conatus impar defecerit & tantâ de spe decidero,
æqui boni consulas optimo animo factum. non enim
cuivis de te digna loqui datum est, nec laudando plus-
quam imitando assequimur. Tibi naturæ donis accu-
mulato acerrimis studiis & liberali disciplinâ exultis
atque ampliatis, iisque artibus & scientiis, quæ sunt
ingenuo liberoque dignæ perpolito, & in omni parte
humanitatis perfecto, Tibi tanta est ad ornatum uber-
tas, ut quid mirer magis, aut unde ordinar incertus
hæream. five enim ingenium, studia, mores com-
plector ; five florentem juvenem, avide doctrinæ fontes
haurientem ; five togatum gravem & medicum matu-
ritate judicii, scientiâ & famâ valentem ; five senem
præcipientem & monentem ; Tu es unus profecto qui
tantâ præstas in omni ætate excellentiâ, ut cæteris
vix ullam laudem reliqueris. in adolescentiæ tuæ pri-
mitiis quanta fœcunditas, quæ deinde sagacitas in iis,
quæ se se nimium profuderant revocandis ; in ultimo
tuo illo labore quam præclarum dedisti exemplum

mānentis ingenii senibus manente studio & industriā.
 His naturae artisque muneribus fortuna junxit sua;
 Tibi dedit & opes & artem fruendi. Tibi contigit
 principibūs placuisse, cum magnis vixisse, & in flore
 & robore civium summā cum dignitate & gratiā ver-
 fato fuisse, totius longævæ vitæ splendore & magnifi-
 centiā raroque eo urbanitatis colore distincto, hono-
 rato atque eminenti. Quæ tibi illa domus! quibus
 monumentis instruēta penetralia! quicquid rarioris
 erudita reposuerat antiquitas, quicquid exquisiti re-
 centiores artes excuderant, tibi cessit in ædis aut bibli-
 othecæ ornamentum. qualis ibi amicorum congressus!
 doctrinæ commercium! gratum quippe hospitibus
 musis domicilium, ubi tanta & tam exquisita enitebat
 literariæ supellectilis abundantia. Tua apud exteris
 per volgata fama patriæ gloriam sustinuit, nullus ad-
 vena doctus aut boni nominis huc appulit, quin te
 quæsiverit, te salutatum venerit, nec fructuoso itinere
 redditurus nisi te frequentato rediisset. Quo Tu sancto
 hospitio juniores tuæ gentis excepisti! dictis amicis
 affatus es, quibus hortatibus recreasti, atque animos
 incendisti; quâ benignitate paternâ eorum famæ &
 commodo consulisti! Te vicissim amore pio pro-
 sequimur, magistrum colimus, patrem veneramur.
 Quare dilectum caput cingimus hederâ, ambabus ulnis
 genua amplectimur. nomen tuum imagine marmoreâ
 perennius, præcordiis inscriptum manebit, ultimis
 nepotibus

nepotibus descendet, eorum laudibus adaugendum, velut amnis immensus quo longiore fluit itinere, eō plures accipit tributarias aquas.

Ultimo jam loco, sed non ultimā laude memorandus est, ingenio atque arte valens & habilis Letherlandus. quem omnes novimus doctum, candidum & sincerum. doctrinæ insatiabilis, tamque avidus excolendæ mentis fuit, ut corporis vires neglexerit. aliorum sanitati studiose invigilando, suæ nimis securus, adversâ valetudine continuo luctatus est. diuturnos dolores & tædia patientiâ & fortitudine incredibili sustinuit; nec studia remisit, donec tantis malis fractus & abssumptus mortem obierit philosophorum.

Restat adhuc inani laude cumulandus optimā indole & maximā spe juvenis, acerbâ morte novissimè abreptus Woollastonius, cui nullus animi defuit aut vigor aut virtus, & sic meritum erat suum ut matura præmia accepisset; illi astabant & opes & honores & jam famæ patebat via. Quis nostrūm tam obtusi pectoris, ut tali jacturâ lacrymam neget? sed tristem eventum melius velo obducere quam recentem dolorem nimis importunè movere.

His viris, his incrementis, his viribus datis, dissoluta ante ac divulsa, nec dum ad artem rationalem redacta, collecta est & adaucta medicina. suis fese tandem exuit sordibus, nec amplius conjecturâ, aut experimento vago, aut falsâ doctrinæ specie; sed naturæ

turæ observatione & rerum quâ licet perfectâ cognitione innixa, ad eum quo nunc videmus gloriæ apicem elata est. Inclaruerunt hi viri, alter ex alterius laboribus profectum fecit, artemque provexit suis, donec tandem ea nata est & stabilita, quâ nunc fruimur physiologia ; cujus ad perfectionem paucissima certe desiderari videntur. Nec tam patrii oris degeneres nos sumus, & virtutum suarum excidui, ut quæ illi dederunt, iis nesciremus uti. Novistis omnes quæcunque illi docuerunt, & novistis saluti publicæ convertere ; nec ullo alio tempore tantum valuit medicina ; tantum potuerunt medicinæ professores. obtrectent, fremant, qui volunt, maligne & perperam judicantes, temporis acti laudatores ignari. designent, si possunt, quâ regione, quove sæculo, tam bene nota est & intellecta humani corporis fabrica, aut ubi, aut quando tam utili solidâque scientiâ de morbis judicatum est, aut tam potentia & tuta simul adhibita sunt ad eos profugandos medicamenta, & ad sanitatem tuendam adminicula. Si monstrum Empirica sua centum attollit capita, & adversus omne genus hominum per urbes graffatus ; si fraude malâ perit populus, & primores populi pillulâ malesanâ, pulvere venenoſo moriuntur ; si inulti equitant empirici, quisque suum & cæde & strage populatus iter. Non artis defectu hæc fiunt, non medicorum culpâ. ignarum vulgus plura quærit & majora quam fert ratio aut naturæ leges finunt ; miracula inhiat,

inhiat, adit miracula professos ; & iisdem mendaciis
 millies repetitis vult decipi. alienis nemo, sed quisque
 malis suis nimis sero sapit, datis stultorum pœnis.
 Omnibus artem, quam non norunt, exercere licet : non
 solum chirurgus & pharmacopola ultra crepidam au-
 dent, sed futor, & fætor, & faber, & fullo, pollent
 omnes in arte medicâ & rempublicam capessunt, &
 magno insipientis sæculi & damno & opprobrio, au-
 toritas vestra, nescio quo maligno fidere, languescit.
 Quid restat ? Auditores dignissimi, anne his malis
 cedendum est, an contra fortius accingendum ? ge-
 rendus mos est, donec alter erit Caius, qui autoritate
 nutuque legum nefarios reprimat, aut Deus dabit
 finem ? Interea Vos vero, viri integerrimi, quicquid
 opis est vestræ afferetis, cavebitis ne leni indulgentiâ
 horum hominum nequitiæ adspirare videamini, eo-
 rum congressus & consilia cane magis & angue vita-
 bitis. cavebit unusquisque ne jungatur dextra, ne fit
 eodem sub trabe cum empirico & homicidâ. Castas
 sanctasque has ædes servabitis, arceantur profani, nec
 nisi ingenuo liberoque pateant fores. Collegii vestri
 sanctimoniac & dignitati eo studio atque ardore con-
 fuletis, quo quisque pudicitiaæ suæ domus & familiæ
 provideret. Sic estis virtute vestra, etiam si indotatâ,
 involuti ; invidiâ, contumeliâ, inimicis injuriisque
 omnibus majores, tandem aliquando triumphaturi.

[428.]

engaged in a struggle for the mastery over me. After
 some opposition, however, I was successful in driv-
 ing him off; but he soon returned and continued his
 efforts to hold me. I did my best to get rid of him,
 but he would not give up the struggle. I then
 tried to drive him off by shouting at him, but
 he only grew more and more obstinate. I finally
 resorted to physical force and hit him on the head.
 He then ran away, but he returned shortly after-
 wards and tried to hold me again. I hit him
 again, and he ran away. He then came back and
 tried to hold me again. I hit him again, and he
 ran away. This happened several times, until
 I finally gave up the struggle and let him go.
 He then ran away, but he soon turned around and
 came back to me. I hit him again, and he ran away.
 He then came back to me again. I hit him again,
 and he ran away. This continued for a long time,
 until I finally got tired and stopped hitting
 him. He then ran away, but he soon turned around
 and came back to me again. I hit him again,
 and he ran away. He then came back to me again.
 I hit him again, and he ran away. This con-
 tinued for a long time, until I finally stopped
 hitting him. He then ran away, but he soon turned
 around and came back to me again. I hit him again,
 and he ran away. He then came back to me again.
 I hit him again, and he ran away. This con-
 tinued for a long time, until I finally stopped
 hitting him. He then ran away, but he soon turned
 around and came back to me again. I hit him again,
 and he ran away. He then came back to me again.
 I hit him again, and he ran away. This con-
 tinued for a long time, until I finally stopped
 hitting him. He then ran away, but he soon turned
 around and came back to me again. I hit him again,
 and he ran away. He then came back to me again.
 I hit him again, and he ran away. This con-
 tinued for a long time, until I finally stopped
 hitting him. He then ran away, but he soon turned
 around and came back to me again. I hit him again,
 and he ran away. He then came back to me again.
 I hit him again, and he ran away. This con-
 tinued for a long time, until I finally stopped
 hitting him. He then ran away, but he soon turned
 around and came back to me again. I hit him again,
 and he ran away. He then came back to me again.
 I hit him again, and he ran away. This con-
 tinued for a long time, until I finally stopped
 hitting him. He then ran away, but he soon turned
 around and came back to me again. I hit him again,
 and he ran away. He then came back to me again.
 I hit him again, and he ran away. This con-
 tinued for a long time, until I finally stopped
 hitting him. He then ran away, but he soon turned
 around and came back to me again. I hit him again,
 and he ran away. He then came back to me again.
 I hit him again, and he ran away. This con-

21217

Index.

1. Dissertatio Juridica de Patria Cotestube, à Davide Antonio Dekanter. - - Lugd. Bat. 1719
2. Dissertatio Physiologico-mechanica De Catameniorum fluxu à Phil. Dehalour. Lugd. Bat. 1733
3. Disputatio Juridica de Jurejurando litis decisione a Jacobo Ockerse. Lugd. Bat. 1718
4. Disputatio Juridica in Legem Cornelium de Siccariis à Petro magge a Renesse. Trajecti 1718.
5. Oratio de Honoribus Academicis, magno Doctrine prelio à Joh. Conrado Fuchero. Lugd. Bat. 1735.
6. Dissertatio Physiologico Juridica, de maleficii, malherba, scincis et ceteris similibus à Dr. Tolozan. Lugd. 1736
7. Dissertatio Inauguratis in Aphorismum Hippocratis: cum 28^{um} à Barth. Herm. De moor. Lugd. 1736
8. Disputatio Juridica de Prescriptione longiori temporis à Corne Walkenier Trajecti. 1718
9. Iac. Wittichii Oratio De Iniquitate, et Inutilitate Tormentorum, in questionibus reorum Lugd. B. 1736
10. Theses Physicae de Electricitate, à Lud. Necker. Geniv. 1747
11. De Medicorum apud veteres Romanos degentiam conditio. Dissertatio à Longers Middleton. Cantabri. 1726
12. Dissertatio de Diluvio à Pet. Picot. Genovæ 1768
13. P. Wesselii Oratio De Simplicitate prudenti in oratore sacro requisita. Leida 1739
14. Oratio Harveiana à Gul. Cadogan. Lond. 1764.





